

hoc materialiter, et subjective se habet ad lineam moralitatis, quæ in actu primo inclinatur ad appetendum secundum regulationem rationis, vel recessum a ratione, licet habitus ut humanus, seu ut regulabilis proprium genus sit ad differentias morales habitus, ut latius dicemus contra Scotum infra disp. XIV, art. 1.

MORALITAS EX OBJECTO EST PRIMA, ET SPECIFICA IN ACTU HUMANO UT MORALI.

XV. Sic affirmat D. Thomas in quæstione XVIII, artic. II: Cæterum objectum in præsentem bifariam sumi potest. Uno modo communiter, et in tota sua latitudine pro omni quod attingitur a voluntate, et ex parte rei affectæ se tenet. Et sic comprehendit etiam circumstantias, et fines, quia omnia ista a voluntate attinguntur, et secundum illa iudicatur de bonitate, vel malitia actus. Alio modo sumitur objectum stricte prout distinguitur a fine movente, et circumstantiis adjacentibus, eo quod licet voluntas multa attingat, tamen ordine quodam procedit. Et sic id quod primo attingit actus tamquam primo pertinens ad sui constitutionem, et terminationem, objectum proprie dicitur, quia primo occurrit, seu objicitur actui. Reliqua vero, quæ post primum occursum per se affectum ab actu, vel potentia deinceps attinguntur, quasi consecutive, et accidentaliter attinguntur, eo quod jam supponunt actum terminatum, et constitutum, et sic illud primum vocatur objectum, reliqua circumstantiæ.

XVI. Ratio ergo D. Thomæ probat sumi specificationem actus ab objecto tam in genere naturæ, quam moris, et formatur sic. Species cu-

juscumque rei sumitur a forma, qui forma definitur id quod dat speciem rei (scilicet actuando, non efficiendo, efficiens enim principaliter dat existentiam speciei, quam speciem rei constitutæ) sed objectum se habet ut forma respectu actionis, habet enim se ut terminus motus, et tendentiæ, eo quod actus ab objecto dependet in sui determinatione, et constitutione; ex hoc enim maxime discernitur actus, scilicet ex objecto circa quod est; ergo specificatio actus, et determinatio constitutiva illius sumitur ab objecto. Quæ ratio ut applicetur ad specificationem actus in genere morali, solum restat probare, quod etiam in quantum moralis determinetur, et dependeat ab objecto ut a ratione formali.

XVII. Hinc autem oritur triplex difficultas circa istam specificationem moralem actus ab objecto. Prima, quia in illa assignanda, videtur D. Thomam circulum committere; cum enim specificatio moralis sumi debeat ab objecto considerato in genere moris, et non in esse naturæ, ad explicandum quid sit objectum in esse moris, dicit D. Thomas articulo primo citato ad primum: « Quod res exteriores licet in se sint bonæ, non tamen semper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem, et ideo in quantum considerantur ut objecta talium actionum, non habent rationem boni. » Ecce manifesta commissio circuli: Actus ideo est bonus, quia objectum est bonum morale, et non solum naturale: objectum autem ideo est bonum morale, quia proportionatur tali actui. Quæ est ista moralitas in objecto ex qua actus specificatur in genere moris, si ideo objectum bonum morale est, quia proportionatur actui? Et præterea urgetur hoc exemplo actuum indifferentium. Nam actus isti etiam in specie sua, et ex objec-

to indifferenti morales sunt, et tamen in vi objecti antecedenter ad circumstantias, et finem nihil supponunt consonum, vel dissonum rationi, vel actui ut morali, alias indifferentiam non haberent; ergo non oportet quod omnis moralitas specifica sumatur ex objecto, etiam includendo moralitatem indifferentem.

XVIII. Secunda difficultas est in eo quod dicitur hanc bonitatem ex objecto esse primam. Contra est; tum, quia prima ratio, quæ resplendet in actu, et sumitur ex objecto est generica, hæc enim prior est specifica; ergo specifica non est prima; tum, quia actio specificatur a suo principio, ut supra quæst. I, art. III docet S. Thomas. Ex ordine autem ad suum principium habet actus convenientiam aliquam, vel disconvenientiam in genere moris, quia illud principium est voluntas, quæ de se est operativa cum subiectione ad regulas rationis; ergo ex ordine ad tale principium sumitur moralitas actus antecedenter ad objectum. Et sic objectum non dat primam bonitatem, seu speciem in genere moris. Addo, quod si bonitas, vel malitia sumitur ex objecto, sequitur quod per prius sit in actu externo, quam in interno, cujus oppositum docet D. Thomas in hac quæstione XX, art. I. Et sequela patet, quia actio externa est objectum actus interni, sicut cum dico: Volo dare eleemosynam, largitio illa eleemosynæ est actus externus, et ille est objectum talis volitionis, ergo prius habet bonitatem moralem actus externus, quam internus. Et de ipso actu externo potest currere eadem difficultas quia ille actus est vere humanus, et moralis, si quidem imputatur nobis, et punitur, vel præmiatur, et tamen non accipit bonitatem ab objecto, quia objectum est donatio ipsa eleemosynæ, non enim ipsa

pecunia, seu res quæ donatur aliquid morale est, et hanc donationem non habet actu ex aliquo extrinseco, sed per se ipsum.

XIX. Tertia difficultas est circa quosdam speciales actus, qui non possunt specificationem habere ab objectis, vel quia objecta nimis ampla, et generalia sunt, nec possunt specificationem dare; vel quia non possunt ultimam, et determinatam specificationem præbere. Exemplum primi est in illo actu ita communi, et generali: Volo bene, vel studiose vivere: volo peccare, non determinando in quo objecto, et in qua materia, sed generaliter, sicut cum aliquis accedit ad pœnitentiam cum proposito de cætero non peccandi in nulla materia, isti actus sunt determinatæ speciei, quia in individuo exercentur tamquam actus morales, et liberi, et non sunt indifferentes in individuo; ergo boni, vel mali. Hanc autem specificationem non possunt habere ab objecto, quia objectum eorum non est determinatum, et specificum, sed communissimum, si quidem complectitur omnia objecta, et materias omnium virtutum, vel vitiorum; ergo moralitas specifica non desumitur ab objecto. Exemplum secundi est in actu qui sumit bonitatem a fine, sicut cum datur eleemosyna in satisfactionem pœnitentiæ, vel in cultum divinum: bonitas satisfactionis sumitur ex illo fine, et ibi ultimo determinatur, et contrahitur species talis actus; ergo specificatio ultima non sumitur ex objecto. Quod præsertim confirmatur ex eo quod D. Thomas supra qu. I, art. III, generaliter docuit specificationem actuum sumi ex fine: ergo non ex objecto, ratione si quidem finis intenti omnes alii actus ei subordinati voluntarii, et morales sunt, quia inde ut a principio moventur, et illud est formale in omnibus; et sic loquitur

S. Thomas de specificatione morali, et de actu humano ut humanus.

XX. Nihilominus, conclusio, et assertio D. Thomæ verissima est, et ejus probatio maxime urget, quia actus non solum entitative, et physice considerati, sed etiam in quantum morales habent aliquam specificationem; ergo debent illam desumere ab objecto. Consequentia patet, quia actus per hoc quod sint morales non excluduntur a ratione, et natura actus, de ejus intrinseco et proprio conceptu est, quod suam speciem, et quidditatem non habeant absolute ad se, sicut substantia, vel quantitas, nec ad aliud ut ad purum terminum, sicut relatio, sed ad aliud ut ad objectum circa quod versatur, et quod attingit, ut deserviens ipsi potentia, et ipsi operanti; utimur enim actibus ad attingenda objecta cognitione, vel appetitu, aut aliis potentiis: in his autem, quæ solum sunt propter aliud, seu erga aliud essentialiter, et per se, ita quod eorum essentia ad hoc munus solum deservit, necesse est quod totam suam specificationem ex illo ad quod per se ordinantur desumant, quia illud se habet tamquam formale respectu eorum, si quidem species, et quidditas talium, cum non sit omnino absoluta, et sistens in se, etiam specificativum, et formale eorum non debet esse omnino absolutum, et in se, sed extra, scilicet ad quod ordinantur. Actus autem etiam in quantum morales, non sunt aliquid omnino absolutum, et ad se, sed erga aliud circa quod versantur, quia moralitas eorum attenditur penes ea, quæ tractant, et circumstantias, et alia extrinseca, sine quibus moralitas non desumitur, et sic Osee IX dicitur: *Facta sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*: ubi ab objectis dilectis desumitur abominatio operantium. Versantur

ergo actus in quantum morales circa objecta.

XXI. Antecedens autem manifestum est, quia virtutes etiam in quantum morales distinguuntur, et speciem suam habent non minus, quam scientiæ, aut virtutes theologicæ, quas constat distingui cum dicat Apostolus I ad Corinthios XIII: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*, et potest in homine peccatore manere fides, et spes sine charitate: similiter virtutes morales distinguuntur, ut temperantia, et justitia, potestque aliquis excellere, et crescere in una, et non in altera: nec potest dici, quod solo numero distinguuntur, sic enim una virtus sufficeret, et aliæ superfluerent. Ergo similiter actus morales earum, specie distinguuntur sicut et ipsi habitus; ergo ab objectis.

XXII. Ad primam difficultatem respondetur nullum a D. Thoma committi circulum in assignanda moralitate actus, et objecti, quia moralitas actus sumitur ex objecto, ut regulato regulis rationis. Objectum autem ipsum non dicit D. Thomas, quod ex proportionem ad actum sumit moralitatem suam; revera enim eam sumit, non ex actu, sed ex ipsis regulis, quibus ratio in objectis attingendis, seu operationibus faciendis regulari debet, verbi gratia, ex lege, ex voluntate divina, ex fine, sicut D. Thomas in quæstione XIX ostendit ex istis principiis desumi regulabilitatem, et moralitatem actuum interiorum moralium. Dicit autem in illa solutione ad primum, art. II, quæst. XVIII: « Quod res exteriores licet in se sint bonæ, tamen non semper habent debitam proportionem ad hanc: vel illam actionem, » non quia eam ab actione desumant ut a principio formali, sed quia desumunt eam a regulis rationis, et aliquando res ipsæ talis conditionis sunt, ut hanc proportio-

nem, et regulabilitatem moralem debitam non habeant, ut possit quis debite illis uti, et propterea stat bene, quod res aliquæ in se, et entitative bonæ sint, et tamen in quantum ad objecta, et proportionata moraliter ad usum, et actionem operantium bonæ non sint, et hæc proportio præcedit in objecto ante actionem, sed non ab actione desumitur, sed a regulis rationis, et prudentiæ; et sub hac proportionem, et regulationem ab illis regulis desumpta actionem specificant, ab eaque attinguntur, et ei proportionantur in linea morali.

XXIII. Et sic solum relinquit D. Thomas illud argumentum quod proposuerat ibi ex Augustino, quod in rebus non est malum, sed in usu peccantium; ergo actio non habet malitiam ex objecto. Respondet directe explicando sensum Augustini: In rebus secundum se, id est, entitative consideratis non est malum, concedo; in rebus in ordine ad usum peccantium dispositis, et proportionatis, nego. Sunt autem objecta actionum ut proportionata ipsis, quam tamen proportionem moralem non accipiunt ab ipsis ut a ratione formali, sed a regulis rationis, licet eam habeant actum ut ad extremum cui proportionantur.

XXIV. Ad exemplum de actibus indifferentibus respondetur, quod actus indifferens sumit suam moralitatem indifferentiæ ab objecto, quatenus de se neque conformatur, neque difformatur legi, sed ab ea permittitur, et in hoc ejus regulatio, seu mensuratio moralis consistit, nempe quod sit res permissa a lege, non præcepta, neque prohibita, et hoc habet actus indifferens ex parte objecti præcise considerati, ita quod ex illo nec est bonus, nec est malus. Et sic sumit actus indifferens speciem moralem ab objecto, quæ est species indifferentiæ quantum est ex nuda objecti consi-

deratione. Quando autem determinatur ut sit species boni, vel mali propter finem, vel circumstantias adjunctas, etiam ab objecto recipit hanc specificationem, quia finis, vel circumstantia transit tunc in conditionem objecti. Unde semper verificatur, quod actus sumit speciem moralem primam ab objecto, sive sit species indifferentiæ, sive sit species determinata boni vel mali, de quo amplius dicemus sequenti disputatione agendo de actu indifferenti.

XXVI. Ad secundam difficultatem respondetur bonitatem ex objecto dici primam comparative ad illam, quæ sumitur ex circumstantiis, quia hæc accidentaliter est. Quod si circumstantiæ transeunt in conditionem objecti, tunc ab illis sumetur prima bonitas, non quatenus circumstantiæ sunt, sed quatenus objecti rationem induent; et sic illa, quæ est ex objecto semper est prima, id est, nulla ante illam convenit actui, quia primum ad quod tendit et terminatur actus est objectum. Bonitas ergo moralis, quæ ex objecto desumitur, prima est in actu, quia nihil ante objectum occurrit in actu a quo habent bonitatem.

XXVII. Ad primam probationem in contrarium dicitur, quod genus ad bonitatem, et malitiam moralem non est bonitas vel malitia, sed aliquid superius abstrahens a bono et malo, quod dicitur moralitas. Et hæc etiam generice sumpta desumitur ab objecto generice, et in communi sumpto in linea morali. Et sic semper manet certum, quod bonitas, quæ est moralis species ab objecto desumitur, nec tamen per hoc tollitur, quod etiam generice possit desumi ab objecto altius, et abstractius considerato. Nec D. Thomas dixit primam moralitatem ut sic, sed primam bonitatem desumi ab objecto, et hæc moralitatis species

est, sicque species moralis ab objecto sumitur. De generica vero ratione non negavit sumi etiam posse ab objecto sub alia consideratione.

XXVII. Ad secundam probationem dicitur, quod actionem posse specificari a suo principio potest intelligi dupliciter. Primo, a suo principio effectivo, et effective influente. Secundo, a suo principio formali, et motivo formali, quod etiam ex parte objecti se tenet, quia objectum non se habet tantum terminative ad actum, sed etiam motive, quatenus a tali objecto movetur potentia ad actum, si sit potentia apprehensiva, mediante specie impressa repræsentante; si sit appetitiva, mediante objecto apprehenso, et proposito per cognitionem. Si primo modo loquamur, non potest intelligi actionem specificari a principio effectivo, quatenus effectivum est præcise, nam efficientia, et productio potius respicit existentiam rei, et esse quam quidditatem et specificationem, datur enim productio, et efficientia, ut reducat res de non esse ad esse. Si autem in principio effectivo consideremus non præcisam efficientiam, sed formalem proportionem, et rationem, secundum quam producit hanc speciem rei potius quam illam, ut quod calor producat calidum, frigus frigidum, sic sumitur etiam specificatio actus a suo principio a quo egreditur, et elicitur, quatenus operatur per formam, quæ est ratio producendi illud, et sic habet rationem principii formalis, fundat enim hoc modo principium effectivum quartum modum per se, qui utique in proportionem, et coaptationem formæ efficientis ad ipsum effectum consistit, ut quod ædificatur ædificet, calidum calefaciat, etc. et hoc etiam pertinet ad speciem ipsam effectus, seu actionis. Si vero secundo modo intelligatur, ma-

nifestum est desumi speciem actus a principio formali, seu motivo, quod ex parte objecti se tenet, et hoc specificare potest.

XXVIII. Ad tertiam probationem dicitur, quod antecedenter ad ordinem, quem habet actus ad objectum non habet convenientiam, vel disconvenientiam moralem per ordinem ad suum principium elicivum, quod est voluntas, quia non regulatur ista potentia, seu principium regulis moralibus rationis, nisi mediante objecto, et operatione super quæ immediate cadunt illæ regulæ, nec enim lex præcipit nisi facere quod est actus, aut non facere quod est negatio actus, neque hæc præcipiuntur nisi quatenus illis attingitur aliquod objectum, seu materia. Circa potentiam autem secluso facere, et non facere non datur lex, aut præceptum: ergo neque regulatio, aut moralitas, quia hæc tota pendet a lege, et lex respicit ipsos actus, non potentiam sine actu, vel omissione actus. Similiter neque actus regulantur sine objectis, eorumque attingentia: nec enim intellectus, aut lex disponit de actu bene, vel male faciendo, nisi juxta objectum circa quod versatur, et attingentiam ejus. Actus enim entitative in se sine objecto, non est nisi quædam vitalis qualitas in actu secundo procedens a potentia, quæ ab objecto accipit bonitatem, vel malitiam regulabilem per regulas rationis: antecedenter autem ad objectum solum habet proportionem entitativam cum suo principio, quatenus potest ab illa physice, et entitative emanare, et procedere ut actus vitalis, quæ proportio, et convenientia solum est in genere naturæ. In linea autem morali non habet convenientiam, vel disconvenientiam, nisi quatenus supponitur ordo ad objectum regulatum regulis rationis, vel procedit

a potentia ut subordinata tali objecto sic regulato.

XXIX. Ad ultimam probationem dicitur, actum exteriorem dupliciter considerari, et comparari ad interiorem. Primo specificative, et prout in intentione, et apprehensione potest antecedere, seu specificare actum interiorem. Secundo executive, et in exercitio, quatenus ex actu interiori procedit tamquam effectus ejus. Primo modo se habet ut objectum actus interioris, et sic prius habet bonitatem, aut malitiam non formaliter, sed objective, quatenus ex ordine ad ipsum, ut ad objectum actus interior sumit specificationem, et consequenter regulas boni, vel mali secundum regulas rationis. Secundo autem modo actus exterior non est objectum, sed effectus, et participat ab actu interiori bonitatem, vel malitiam, quatenus ab eo imperatur, et ordinatur in finem, aut etiam ab ipso participat rationem voluntarii, si in se, et ex propriis meritis voluntarius non sit, sicut actus sensibiles externi. Et quando D. Thomas docet loco allegato in argumento, scilicet, quæst. xx, art. i, quod bonitas, et malitia prius est in actu externo, quam interno, loquitur in hoc secundo sensu, scilicet de actu externo, et ejus moralitate prout in executione, et exercitio, sic enim derivatur moralitas ab actu interno, et causatur ab illo, et consequenter antecedit in actu interno. Sed tamen si actus externus consideretur ut objectum, quod in intentione, et apprehensione præcedit actum interiorem, eo quod intendimus exequi, et facere actum externum, sic prius intelligitur objective moralitas in actu externo, quatenus est prius in intentione, et objective.

XXX. Cum autem inquiratur de ipso actu externo, quod objectum habeat, a quo sumat bonitatem, vel

malitiam moralem, verbi gratia executio furti, largitio eleemosynæ, aliqui existimant objectum talis actus esse rem ipsam externam circa quam versatur actio, verbi gratia pecuniam, quam fur apprehendit, mulier quam quis cognoscit, prout talis res externa consideratur ut materia illius actionis mensuranda, et attingenda secundum regulas rationis, vel præter illas. Alii dicunt hanc materiam externam proprie non esse objectum de quo ratio disponit, quia objectum actus externi et interni idem est, sed hanc materiam externam esse circumstantiam quid. Et ita assignant pro objecto actus externi ipsummet actum prout in facto esse consummatum circa talem materiam, et sic prout in facto esse se habet ut objectum suimet in fieri, et in tendentia.

XXXI. Sed prima sententia magis videtur D. Thomæ, qui perpetuo docet objectum actus esse materiam circa quam versatur, ut in hac quæstione xviii, art. ii ad secundum, et infra quæst. lxxiii, art. iii ad primum, et quæst. ii de malo, art. iv. Specialiter autem quod in furto res aliena non sit circumstantia, sed substantia, docet supra quæst. vii, artic. iii ad tertium. Circumstantia autem quid est ipse effectus, seu damnum quod ex tali operatione consequitur ex feminam esse alienam, vel consanguineam, atque adeo ex parte illius distingui species luxuriæ docet S. Thomas 2-2, quæst. cliv, artic. i ad primum. Certe res volita ad extra est finis, quem assequi nitimur, et apprehendere, et sic Deus ipse in se est beatitudo nostra objectiva, et ultimus finis quæ; formalis autem beatitudo est ipse actus visionis Deum assequens. Ergo objectum actionis externæ non est ipsamet operatio in facto esse, sed res illa, quæ a tali actu etiam in facto esse con-